



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

lenti apud ipsum legitur. Horatius habet libro II. Epist. An fortassis compiler, cujus noster opera est usus, scripsit Flaccus, quod non bene ad spectum Pyrrhus putavit esse Plautus.

In taberna quadam.) Mox tamen ait subter scalas in sacello bonæ Deæ. Quamquam neutrum verum sit, nam juxta ad sacellum, extractus ex taberna, ubi latebras quæfiverat, in via publica, est interfectus. Vide Asconium ad hanc orationem.

Vnde Livius lib. V.) Cap. 25. sed ibi libri omnes habent non *plaustro*, verum *pilento*, ut nil hinc sequatur.

Promiscuè idem significantes.) Nusquam, ubi Scriptores accurati sunt.

Horatius Flaccus secundo epistolarum idem docet.) Imò facit contrarium, istaq; ut diversa ponit. Verba ejus: *Esseda festinant, pilenta, petorrata, naves.* Equibus nil elicias ejusmodi, quod vult noster.

Sicut tradit Servius Honoratus.) Nullam litteram hac de re apud ipsum possum reperire.

Alii carpentum.) Ego nusquam hoc inveni.

Cap. XXIV.

Tantundem est ac carruca.) Si improprie loquaris, non si proprie.

Duabus constat rotis.) Imò quatuor, quod manifestè docui.

Nec Virgilius.) Imò Juvenalis Sat. VII. Unde liquet manifestè, nostrum non consuluisse ipsos auctores, verum aliena usum esse opera, in congerendis ipsorum locis atq; verbis.

Cap. XXVI.

Staticulum quoque species est vehiculi.) Totum hoc falsissimum esse, alibi abunde demonstravimus.

Cap. XXVII.

Lectica volubili.) Quæ qualisve hæc volubilis lectica sit, mihi quidem incompertum est. Puto plane natam ex ingenio Scriptoris nostri. Nam ejus apud veteres neque vola extat nec vestigium.

F I N I S.